SECVNDA PARS

CONSTITVTIONVM FRATRVM DISCALCEATORVM CONGREGATIONIS SANCTI ELIAE ORDINIS B. VIRGINIS MARIAE DE MONTE CARMELO.

35



ROMÆ,
Ex Typographia Gulielmi Facciotti.
M D C X I.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECVNDA PARS CONSTITVTIONVM

De diuerſa inſtitutione Conuentuũ, qui ad noſtram Congregationem pertinent.

Cap. I. De fundatione, ac diuerſitate Conuentuum, & numero Fratrum.

1 QVAMQVAM inſtituti noſtri ratio Monaſterijs omnibus noſtris debet eſſe communis, fieri tamen nequit, vt inter nos ipſos nõ ſint aliqua etiam diſcrimina, & noſtro, & proximorum bono conſentanea.

2 Statuimus ergo Conuentus noſtros in claſſes quinque diſtingui debere, ita vt alij deſtinentur nouitiorum educationi, alij in eremo profeſſorum profectui, alij ſtudijs lit-

terarum, alij & profeſſorum profectui, & proximorum quoque ſaluti, alij inſtruendis miniſtris Euangelij ad conuerſionem infidelium.

3 In quibus omnibus præterquam in eremitico, poſt duos à fundatione annos, nec pauciores quindecim, nec plures quadraginta morabuntur, profeſſis, & nouitijs, choriſtis, & non choriſtis vtroque numero incluſis.

4 Fratres autem noſtri, qui vel ad ſtudia, vel ad proximorum ſalutem ad alium Conuentum migrauerint, ne ijs exercitijs ab interna cum Deo vnione alieni fiant, ad eremum interdum de Præpoſiti, ſeu Prouincialis venia, ſe recipere poſſunt, vt ſpiritus vires reſumant.

5 Quia verò, cum præmaturè ad condenda monaſteria acceditur, incommodo loci ad communes actus noſtros nondum aptati obſeruantia tepeſcit; Fratres noſtri in Conuentum aliquem non migrent, donec Eccleſia, domuſque inſtituto noſtro conſentanea extructa ſit, neque aliter admittatur, niſi in aliquo euentu Præpoſito, ac Definitoribus generalibus, vel Prouinciali, & Definitoribus illius Prouinciæ, vbi agitur de fundatione Conuentus, ad Congregationis bonum viſum fuerit aliter expedire.

Pro-

Digitized by Google

6 Prohibemus eorum Conuentuum receptionem, quibus animarum cura annexa eſt. Idemque decernimus de ijs Eccleſijs, vbi etſi Religioſorum eſſe poſſint, à ſæculari Parocho cura geritur animarum. At in terris infidelium, ſi deſint alij, qui animarum curam gerant, à Fratribus noſtris poterit exerceri.

7 Fabricæ autem tam Eccleſiarum, quã Conuentuum noſtrorum paupertatem, & humilitatem præ ſe ferant, quam ob rem iuxta normam in inſtructione traditam ædificentur.

Cap. II. De Templorum ornatu, & ſacris veſtibus.

1 FRatres noſtros hortamur in Domino, vt non tam pretioſa, quam mediocria ad Eccleſias parandas requirant, & munditiæ curam exactiſſimam gerant.

2 Calices, Patenas, Pyxides, Vas olei infirmorum, Lampades, Thuribula, Thecas reliquiarum ex argento, & (ſi donetur) ex auro Fratres noſtri habere poterunt. Cętera vel aurea, vel argentea non quærantur, ſed ſi donentur poterunt haberi. Siqua vero Eccleſia vaſis eiuſmodi proprijs iam inſtructa nobis offeratur, Fratribus noſtris

eam recipere, ac vaſis illis vti licebit.

3 Apparatus tam miniſtrorum, quàm Altarium, poterunt ex tela vndulata, vulgò, ciambellotto, vel etiam è ſimplici ſerico fieri. Caſulam verò aliquam, vel Crucem caſulæ, Altariſque apparatum, telæ alicuius aureæ, vel argenteæ, ſi ab alijs donentur, haberi permittimus. Intertextum autem, vulgo, broccatum, & plumarium opus, vulgo, ricamatum, prohibemus: è quibus telis, ſi ſacer aliquis apparatus donetur, curent Prælati, donatore non ægrè ferente, alio minus pretioſo illum permutare.

4 Albæ, & amictus celebrantium, Altariumque mappę mundæ admodum ſint. Byſſinæ verò, & ſimiles telæ tenuiſſimæ, putà, quę vulgo dicuntur, cambrai, & aliæ ſimiles à noſtris Fratribus non emantur, ſi verò donentur recipi poterunt; ijs tamen Fratres noſtri non vtantur, niſi ſolemnioribus anni diebus, vel cum Prælatus aliquis externus, ſeu vir illuſtris eccleſiaſticus ad Sacrum faciendum apud nos induetur.

Digitized by Google

38

Cap. III. De Conuentu vbi nouitij ſunt educandi.

1 CONuentum nouis Fratribus educandis dedicatum, ab ijs omnibus, quæ tentationis occaſiones pariunt oportet eſſe remotum.

2 Propterea Conuentus nouitiorum ab oppidis aliquantum ſeparati ędificētur, niſi alicubi Definitoriũ generale, ſeu Prouinciale aliter expedire iudicauerit. Et in eo nec Præpoſitus Congregationis, neque Prouinciales, neque Definitores generales, neque Procurator generalis habitabunt, neque ſtudiorum actus exercebuntur, neque hoſpites frequenter admittentur.

3 Curent Præpoſitus, & Prouincialis, vt Prior eius Conuentus ſit ex ijs, qui in noſtra Congregatione fuerunt Magiſtri nouitiorum, qui in Capitulo prouinciali primus è Prioribus creetur, & de bona Fratrum educatione ita ſollicitus ſit, vt eos interdum in commune exhortetur; & aliquando communibus eorum actibus interſit, priuatimque ſingulos viſitet, ac ſoletur.

4 Magiſter nouitiorum ſingulari ſanctitate, ac prudentia præditus, qui ſit Supprior Monaſterij nouitiatus à Definitorio prouinciali eligatur, cuius officium vſque

Digitized by Google

ad Capitulum ſequens durabit.

5 Si nouitiorum numerus magnus ſit, habeat Magiſter ſocium moribus ei ſimilẽ, qui eum diligenter, ac fideliter adiuuet, qui à Priore Conuentus de ipſius Magiſtri conſilio eligetur.

6 Quia vero Magiſtrum decet ſic à nouitijs honorari, vt nihil mali de illo ſuſpicétur; ſi forte aliquid minus perfectum agat, Prior ſecretò eum admoneat; nunquam verò illum coram nouitijs publice corripiat, ſed ſemper eius auctoritatem, & honorem tueri, & augere curet, vt nouitiorum bonum ſpirituale promoueat.

7 Nihil præterea erga nouitios diſponat ſine ſcitu Magiſtri, cum quo amanter admodum agere debet.

8 Vt autem nouitiatum ab omni periculo immunem ſeruet, ſi forte nouitius aliquis ob culpas, quæ ſine infamiæ nota in Capitulo aperiri nõ poſſent, expelli debeat, Prior cum Magiſtro, ac eius ſocio de re hac prudenter agat, & ex communi trium ſentẽtia (non expreſſo nouitij nomine) Prouinciali ſcribat, ac de illius conſenſu nouitius expellatur.

9 Patres, ac Fratres profeſſi, qui in hoc Monaſterio moraturi ſunt, ſingulari virtutum exemplo, & boni communis zelo ita præſtent, vt nouitios ad ęmulationem pro-

uocare

Digitized by Google

uocare poſſint. Si autem oportuerit extra huiuſmodi Conuentum nouitios educari, Capitulum prouinciale veniam dabit, Definitoriumque prouinciale Magiſtrum præponet, qui eos in loco ſeparato, clauſoque cuſtodiat.

10 Si Magiſter nouitiorum obierit, vel amotus fuerit, Prouincialis alium idoneum, re valde prudenter expenſa, ſtatim deſignabit; qui vſque ad Capitulum prouinciale ſequens duret, niſi eidem Prouinciali aliter viſum fuerit expedire. Quod ſi experientia conſtiterit aliquem huiuſmodi officio eſſe inſigniter idoneum, ad idem opus facilè reſumatur.

Cap. IIII. De Fratrum Donatorum receptione, & educatione.

1 DOnati Fratres ex Præpoſiti, vel Prouincialis venia, & Conuentus recepturi conſenſu admitti poterunt, facto per aliquot dies, antequam induantur, vitæ, ac morum examine.

2 Ij vt admittantur, firma valetudine, viribus, & bono aſpectu præditi ſint, nec recipiantur plures ijs, qui ad inſeruiendum Congregationi neceſſarij creduntur, & antequam recipiantur, informentur de his

Con-

Conſtitutionibus, & in vulgari ſermone eis legantur.

3 Si Conuentus, vbi nouitij educantur, eos receperit, Prior illos ad nouitiorum exercitia conuenire iubeat, tempuſque opportunum aſſignet. Curet etiam vt per menſes aliquot abire foras non ſinantur, quoadvſque aliquantum in Congregationis diſciplina proficiant; vbi verò nouitij non educabuntur, Prouincialis eis Magiſtrum præponat, qui eos erudiat.

4 Sexto menſe poſt ingreſſum Capitulo Conuētus proponantur, beneque explorentur mores eorum, quos oportet deuotos, ſimplices, fideles, & laboris patientes eſſe, cum ad laborem vocati ſint, quem ſi ferre detrectent, ſe profeſſione indignos oſtendunt.

5 Donati Fratres erunt nouitij per duos annos continuos, in quorum ſecundo, ter Capitulo Conuentus, more nouitiorum choriſtarum proponantur, & approbentur, vel reprobentur.

6 Qui digni fuerint ſolemnem profeſſionem expleto ſecundo anno emittant, ſub eadem forma verborum, qua Fratres choriſtæ vtuntur; & quartum votum adiungant in hanc formam: Inſuper promitto, me non prætenſurum aliquam mutationem habitus, vel aſcenſum ad gradum aliquem altiorem

altiorem eo, ad quem à Deo vocatus ſum.

7 Quod ſi expleto ſecundo anno, indigni profeſſione ſolemni iudicentur, vel etiã ſi digni aliàs iudicentur, ipſi tamen profeſſionem ſolemnem emittere, vel quartum votum adiungere nolint, ſtatim expellantur, neque cum voto aliquo ſimplici inter nos remanere permittantur.

Cap. V. De nouitiorum examine receptioni præmittendo.

1 CAuendum eſt, ne aliquis lupus ouem repræſentans, Congregationi noſtræ graue damnum afferat. Propter quod præcipimus, vt non modo qui nocere poſſe, verum, & qui non poſſe prodeſſe inſtituto noſtro videbitur, non admittatur. Quapropter habitu noſtro indui prohibemus, quemcumque illegitimum, hæreſis, aut ſchiſmatis ſuſpicione laborantem, irregularitate, in qua difficile diſpenſatur, irretitum, coniugatum, ſeruum, habitu alterius Religionis cuiuſuis aliquando indutum, Eremitam monachorum veſte vſum, rationibus reddendis obnoxium, ære alieno, cui ſoluendo non ſit, grauatum, membro aliquo, aut eius vſu carentem, morbo contagioſo, aut morbo alio quolibet communes Congrega-

tionis

tionis labores non ferente laborantem, capite nimium debilem, mente captum, aut per interualla capi ſolitum, magna aliqua deformitate notatum, niſi virtute inſigni ea deformitas compenſetur. In his defectibus ſolum Capitulum prouinciale dum celebratur, & dum non celebratur ſolum Definitorium generale poterit diſpenſare.

2 Sed ſiquis defectum aliquem ex numeratis celauerit, ſtatim ac ſcietur, expellatur, etiam ſi profeſſus fuerit; Congregationis quippe animus eſt, eos, qui prædictos defectus patiuntur, & celant ad profeſſionem non recipere. Qua de re quemadmodum, & de non ambiendi voto, & de non habendo vocem in Capitulo vſque ad Sacerdotium, & vſque ad triennium à profeſſione expletum ingreſſuri moneantur: & ſimul nouerint ratione temporis, inter nos tacitam profeſſionem non induci.

3 Præterea de quibuslibet induendis periculum fiat, an recto animo, ſolius nimirum ſuę ſalutis deſiderio, ſe Congregationi offerre velint.

4. At de ijs, qui Choro aſſignandi ſunt, fiat pręterea periculum, an latinam linguam ita didicerint, vt mox ad alias ſcientias tranſire poſſint: ſecus non recipiantur, niſi eorum perſpicax ingenium, vel virtus diſpenſationem mereatur; quę à Prępoſito,

Digitized by Google

vel Prouinciali concedi poſſit, petente hoc Capitulo Conuentus, vbi aliquis agit de ingreſſu in noſtram Congregationem.

5 Expendant examinatores ingenij vim, quod oportet eſſe docile, ac rationi cedere, & voluntatem explorent, quam oportet mitem, ac obedire paratam, & veræ virtutis cupidam eſſe. Et ſiquis nimium ſententiæ tenax, aut è contrario inconſtans, aut melancholicus, aliovè habitu, ſeu conſuetudine ad malum ita inclinatus videatur, vt exiguam emendationis ſpem moueat, non admittatur. Corporis proportionem intueantur, quam decet honeſtam eſſe, nullamque deformitatem præ ſe ferre, & habitudinem (vulgò complexionem) quam oportet eſſe validam ad Congregationis labores ferendos.

6 Aetatem attendant: Choro enim aſſignandi, niſi annum decimum octauum egerint, & quadrageſimum non exceſſerint; Donati verò niſi egerint decimum octauum, & non exceſſerint trigeſimum quartum non recipiantur, niſi iuſta de cauſa Præpoſitus, vel Prouincialis diſpenſauerit. Statuimus autem, vt cum ijs, qui decimum quintum annum non expleuerint ſolum Definitorium prouinciale diſpenſare poſſit.

7 Cum ergo quis indui optauerit, ac pe-

petierit, Prior illum examinabit; & vocationis, an à Deo ſit, modum expendet. Deinde ſi eum idoneum inuenerit, vni ex Patribus iniunget, vt de eo periculum idem faciat.

8 Deinde antequam introducatur in Conuentum examinetur, quoad ſcientiam, valetudinem, & alia, quæ ante experimentum (quod domi poſtea fieri debet) ſciri poſſunt, fiatque informatio iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas, & noſtras, & tam perſona, quam informatio ipſa Monaſterij Nouitiatus Capitulo proponatur, & (ſi Patribus placeat) approbetur. Quod ſi ab alio Conuentu aliquis induendus mittatur, idem examen, informatio, & approbatio informationis, & perſonæ ibi fiat, de quibus Monaſterij Nouitiatus Patres fiant certiores: & aliter non mittatur.

9 Poſtmodum inducatur in Conuentum, vbi cella ei aſſignetur, & per dies aliquot verſetur intra Clauſtrum, actuſq; Congregationis præſens conſideret, & ipſius etiam virtus experimentis probetur.

10 Quibus abſolutis iterum Capitulo proponatur. Si autem approbetur per ſecreta ſuffragia, de Præpoſiti, vel Prouincialis venia induatur. Eius vero veſtes, vſque ad profeſſionis tempus ſepoſitæ aſſeruentur, & libro nouitiorum, annotato

anno,

anno, menſe, dieque adſcribatur.

11 Hunc ordinem præſcriptum erga omnes induendos Prior ſemper obſeruabit. Quod ſi ex prolixitate tot experimentorum detrimenti aliquid oriri aliquando videatur, cum examinatorum fide, Conuentus approbatione, cæteris prætermiſſis, aliquem interdum induere poterit. Poterit quoque informatio fieri poſtquam aliquis in Conuentum ad probationem ingreſſus eſt, vel etiam poſtquam in Conuentu in habitu ſęculari probatus eſt, ſi ante id tempus fieri ſine detrimento non poſſit.

12 Semel à nobis expulſus nunquam in poſterum recipiatur, niſi apertè conſtiterit, cauſas expulſionis omnes ceſſaſſe. Qui verò ſpontè ſua diſceſſerit non recipiatur vnquam, niſi eius conuerſio vehemens certam emendationis expectationem moueat. Tunc autem à nullo Conuentu admittatur ſine conſenſu Prioris, & Capituli eiuſdem domus, vnde receſſit, ſi Patres ij in ea perſeuerent. Si vero non perſeuerent, non recipiatur, ſine accurato examine ſeriæ conuerſionis. Expulſus denique ob culpas, quas ex conſuetudine committebat, nunquam poſtmodum recipiatur.

Cap.

Digitized by Google

Cap. VI. De nouitiorum educatione.

1 PLurimum refert Fratres nouitios perfectè inſtrui. Propterea Magiſter nouitiorum omnia, quæ ad rerum ſpiritualium notitiam, virtutum acquiſitionem, vitiorum fugam, paſſionum mortificationem, monaſticæ vitę perfectionem, Sacramentorum frequentiam, votorum, & Regulæ (quam memoriæ mandent) Conſtitutionum, & Inſtructionum obſeruationem, Congregationis mores, & cæremonias pertinent, illos exactè doceat, & ad eum finem quotidiè (vt in educationis inſtructione præſcriptum eſt) ad eos ſermonem habeat, & priuatis admonitionibus frequenter erudiat.

2 Attente conſideret, quam vtilitatem ex Communione, Confeſſione, ſacra lectione, orationeque reportent, eoſque prudenter inducat, vt interiora omnia, ſiue proſpera, ſiue aduerſa ei aperiant, vt cognitis vniuſcuiuſque affectibus, rectius eos ad finem inſtituti noſtri dirigere, ac perducere valeat. Quod vt efficiat, vnicuique tempus ad actiones diſtribuat, &

& exer-

Digitized by Google

 143

& exercitia ſpiritualia, corporaliaque præſcribat.

3 Confeſsiones illorum in Oratorio, ſeu Choro frequenter audiat, & prout in Domino putauerit expedire, Communionis frequentiam eis permittat. Interdum etiam de Prioris venia concedere poterit, vt Confeſſario alicui è Conuentu confiteantur, qui eos ſolari, ac erudire poſsit.

4 Præcipimus, vt nouitij Fratres non exerceant officia, quæ commercium cum ſæcularibus requirunt. Sed Magiſter in domeſticis exercitijs eos experiatur. Prior verò non ferat, vt alius quam proprius Magiſter, & Capituli Præſes, dum Fratres ibi corripit, nouitios reprehendat, vel è contrario cum eis familiariter verſetur.

Cap. VII. De nouitiorum approbatione.

1 DEi gloria, & commune Congregationis bonum prę oculis haberi debet erga nouitiorum profeſſionem. Expendant ergo Patres quantum in rerum ſpiritualium ſtudio, in ſui abnegatione, obedientia, humilitate, cæteriſq; virtutibus nouitius profecerit. Et ſi inquietus, propriæque ſen-

tentiæ, ac voluntatis tenax, inconſtans, ab ſpecie mali non abſtinens, Congregationi inutilis, infirmus, aut eiuſmodi alijs defectibus notatus ſit, expellatur.

2 Ter in anni curſu nouitij Capitulo proponantur; & antequam dies Capituli accedat, Patres, qui ſuffragia laturi ſunt, (ſi eis placuerit) à Patribus alijs, vel Fratribus, qui domi morantur, quærere poterunt, quid de Fratribus proponendis ſentiant, quæ veraciter Capitulo referant. Vt autem die Capituli ad rem ventum erit, Prior, Magiſter, & cæteri Patres ſuffragaturi dicant, quid de nouitijs cenſeant, & poſtea ſuffragia ferant, in hunc modum.

3 Si prima, ſecunda, & tertia vice maior Capituli pars nouitios approbet, domi remaneant ſuo tempore profeſſuri, niſi quid poſtea commiſerint profeſſione indignum. Si è contrario accidat, ſcilicet, vt maior pars Capituli, etiam prima vice nouitios reprobet, ſtatim expellantur.

4 Si tamen prima vice æqualia ſuffragia ſint, domi remaneant vſque ad ſecundæ propoſitionis tempus, ſi fortè proficiant. Si vero ſecunda, vel tertia vice ſuffragia æqualia ſint, mox expellantur.

5 Si autem nouitius aliquis eas culpas commiſerit, quæ ſine aliorum ſcandalo tolerari

lerari nequeant ſtatim expellatur, nec præfixum ſolitæ propoſitioni tempus expectetur: immo ſi poſt approbationem vltimam eiuſmodi culpas commiſerit, iterum Capitulo proponatur, vt confeſtim expellatur, ac ſi nunquam fuiſſet approbatus.

6 Veruntamen piè, ac maturè procedatur in approbatione nouitiorum, qui aduentitijs, hoc eſt non habitualibus morbis laborant, ſi vitæ integritas conſtet. Tunc enim de conſenſu Prioris, & Magiſtri nouitiorum, & Præpoſiti, vel Prouincialis venia, ſoliti propoſitionis termini, & profeſſionis etiam tempus prorogari poterunt, vt morbi exitus expectetur, ne ſine culpa, qui bonis moribus præditus eſt, expellatur.

7 Nec ratione temporis, nec habitûs geſtatione, neque exercitio aliquorum actuum, qui profeſſis peculiares ſint, apud nos volumus tacitam profeſſionem induci. ſolã enim expreſſam Congregatio vult admittere. Quapropter donec expreſſe quis profiteatur, libere abire, & à Conuentu, ſi expulſione dignus iudicetur, expelli poterit.

8 Nemo nouitijs, vel cuiquam alteri è noſtris, vel extraneo, quod in Capitulo de illis dictum, & decretum fuerit, detegat ſub pœna graui. At Magiſter no-

uitiorum poſt approbationem, quæ fit menſe decimo, eis, quemadmodum à Congregatione recepti iam ſint, aperiet, vt ſua negotia expedire, & ſe ad profeſſionem præparare valeant.

9 Cum in Capitulo conſtitutum fuerit, vt aliquis nouitius expellatur, ſtatim è nouitiorum dormitorio in locum alium ſeparetur, & de re à Patre aliquo deſtinato prudenter moneatur. Qui expulſum prudenter ſoletur, vt patienter euentum illum ferat; curetque vt tam ipſe, quam eius conſanguinei ſine dedecore maneant, & bonum erga Congregationem affectum nunquam deponant; & vt etiam inter noſtros bene audiat, eius culpæ, ob quas expellitur, niſi publicæ ſint, ſileantur; & fingi poterit debilitas corporis, aut alia eiuſmodi cauſa, quæ bono nomini contraria non ſit, ad ſatisfaciendum ijs, qui rem ignorant.

Digitized by Google

Cap. VIII. De profeſsione emittenda, & profeſſorum ſpirituali profectu.

1 POſtquam Fratres ſe ad profeſſionem præparauerint, eam ſolenniter emittent, & pręter tria ſolemnia vota, quartum non ambiendi officia, & pręlationes emittent: vouentes ſe nunquam directè, vel indirectè, per ſe, aut per alium intra Congregationem vllā prælationem, aut officium per Conſtitutionem prohibitum prætenſuros, & pariter extra Congregationem, neque directè, neque indirectè per ſe, aut per alium, vllam prælationem prætenſuros, vel oblatā acceptaturos, niſi aſtringantur præcepto eius, qui iurè præcipere poſſit.

2 Sit liber profeſſionum, cuius compendium Præpoſitus habeat, in quo notetur patria, ætas profeſſorum, & nomina, quibus in ſæculo vocabantur, vna cum proprijs parentum ſuorum nominibus. Notetur item hora, qua profeſſionem emiſerunt. Singulas autem profeſſiones, Prior, Magiſter nouitiorum, & profeſſus ipſe ſubſcribant.

3 Ne autem profeſſi Fratres deferueſcant à ſpiritus calore, quem in Nouitiatu conceperunt, præcipimus, vt quandiu ad ſacerdotium non promouentur, ſi in Monaſterio Nouitiatus ſint, exercitia nouitiorum in omnibus ſequantur, ac Magiſtro illorum ſubſint, Si vero in alijs Monaſterijs morentur, Supprior Conuentus ſit eorum Magiſter, qui per hebdomadas ſingulas ſemel ſaltem exhortationem faciat, & eos non ſolum coram Communitate Monaſterij, ſed in Oratorio, & priuatim corripiat, & inſtruat, non tamen in cellas ipſorum, neque ipſi in eius cellam intrare poſſint niſi abſente Priore. Det operam Supprior, vt ſingulis hebdomadibus peculiarem virtutem eligant, & colant, Deique præſentiam præ oculis ſemper habeant, nec à bonis moribus, quos didicerunt, vllo modo recedant: illorum præterea confeſſiones audiat, & de exercitijs internis, & externis rationem exigat, & denique ſic illos in Dei timore, & amore continere curet, vt à nouitiorum feruore (quoad fieri poterit) minimè diſcrepent.

4 Profeſſi Fratres ſacris ordinibus non initiabuntur vſque ad triennium à profeſſione lapſum, tunc verò ante promotionem à Conuentu prius quoad mores, poſtea ab

examinatoribus quoad ſcientiam approbentur, de quibus certior fiat Prouincialis. Qui niſi ex cauſis valde vrgentibus non permittet, vt ante id temporis initientur, ij præſertim, qui in ſtudiorum curſu verſantur.

5 Fratres profeſſi vſque ad ſacerdotium in Capitulo ſuffragia non ferant. Qui vero iam Sacerdotes induuntur (quos vſque ad annum expletum à profeſſione Magiſtro nouitiorum ſubeſſe volumus) & qui ante triennium à profeſsione elapſum, Sacerdotium in Religione ſuſceperint, quouſque à profeſſione triennium expleuerint, non ſuffragentur.

Cap. IX. De Eremi Monaſterijs, ac eorum fine.

1 Solitudo ad reſumēdas vires animæ admodum opportuna eſt. Propterea ſtatuimus, vt in vnaquaque Prouincia vnum tantum ſit Monaſterium eremiticum, vbi Fratres à Pręposito, ſeu Prouinciali deſignati habitent ſoli Deo vacantes.

2 Quia verò eremiticam aſperitatem Religioſi tepidiores, & virtutum experientia non probati, difficilè amplectuntur, præcipimus, vt in eremo habitandi licentia

non concedatur nouitijs, iunioribuſque, profeſſis, ægrotis, corpore debilibus, nimium melancholicis, valetudinarijs, ad exercitia ſpiritualia parùm propenſis, ac denique alijs quibuſcumque ad perfectionem eremiticam parum idoneis. Præpoſitus verò, vel Prouincialis benè conſideret quos eſſe deceat, qui ad eremum mittendi ſunt, & de re hac Priorem eremi conſulat. Nullum autem ibi minus, quàm per integrum annum morari permittat, niſi quis iuſta de cauſa illuc per menſes aliquot mittendus eſſet, vt ad Quadrageſimæ conciones, vel aliud eiuſmodi opus pium ſe præpararet.

3 Vt eremi Conuentus ſit ab omni perturbatione liber, ordinamus, vt nemo eum petat, non modo ibi permanſurus, ſed nec viſitaturus, ſine ſcripta Præpoſiti, aut Prouincialis venia, quam niſi detulerit, à Priore non recipiatur.

4 Nullus præterea ſęcularis ibi pernoctet, niſi arcta neceſſitas coegerit. Nec ei è Conuentu, prętèr Eccleſiam, & Sacriſtiam, aliquid videre permittatur, niſi vir aliquis inſignis fuerit, cui ſub ruſticitatis nota, omnia loca videre permittendum ſit. In his autem duobus euentibus, Prior ſine trium antiquiorum Patrum conſilio, quid fieri debeat non decernat.

Non-

5 Non audientur in eremo ſæcularium confeſſiones, præterquam famulorum domus, & alicuius Sacerdotis ibi fortè Sacrum facturi. Nec Fratres litteras ad alia loca dabunt, aut aliunde recipient niſi à P. Præpoſito, vel ſuo Prouinciali, cui etiam ſcribere poterunt. Priori vero licebit quoties, & ad quos expedire videbitur litteras dare, atque recipere.

6 Vt autem nulla ex cauſa Fratres noſtri ibi commorantes ab orationis ſtudio diuertantur, ſtudia ſcholaſtica, & quæuis alia, ex quibus anima ſolet ariditatem pati, prohibemus, ſolique ſacræ Scripturæ, Sanctorum libris, & pijs opuſculis vacari præcipimus.

7 In eremo Diſcretorum electio, & ſolita aliàs expenſarum computatio non fiat. Quod ſi aliquid occurrat ibi ſuffragijs decidendum, non à Patribus, ſed à Prouinciali, ac domus Priore decidatur.

8 Conuentus eremi ab oppidis ita ſeparatus conſtruatur, vt ab aliquo ex alijs noſtris Conuentibus non longe diſtet, vt eò Fratres ægroti deducantur inſigni charitate curandi.

9 In eo verò Conuentu vltra viginti Fratres clericos morari nolumus; numerus tamen Donatorum ad inſeruiendum neceſſarius admittetur.

10 Qui in eremo ita remiſſe ſe gerent, vt ſpes profectus non ſubſit de Præpoſiti, vel Prouincialis mandato ad alios Conuentus mittantur.

11 Nullus verò Frater, vt pœnitentiam, ſeu pœnam ob culpam impoſitam, impleat, mittatur in eremum.

12 Intra eremi clauſuram, neque agri, neque vero arbores ſint, quibus colendis duorum, aut trium ſæcularium, vel Donatorum labor non ſufficiat. Prior autem quiſque annis ſingulis ſylueſtres arbores plantari faciat, vt locus amœnior, & orationi aptior fiat.

Cap. X. De peculiaribus Eremi actibus erga orationem, officiumque diuinum.

1 PRæter duas illas orationis horas toti Congregationi communes in eremo dimidia ante prandium, dimidia altera, poſt Matutinum fiet, quibus Antiphona Veni ſancte Spiritus premittatur, & ſubiungatur, Sub tuum præſidium. Interea verò, dum fit ea dimidia paulò ante prandium, recitetur Miſſa, cui omnes interſint, & ſtatim Horæ Canonicæ, quæ ſupererunt, recitentur.

Offi-

2 Officium diuinum eodem modo, quo in alijs Conuentibus, quoad cantum, ſed lentius perſoluatur. Miſſa quoque diebus Dominicis, & feſtis, & proceſſiones, ſicut in alijs Conuentibus fiant, ſed Miſſa ſine miniſtris celebrabitur.

3 Apparatus ſacer non erit ſericus, ſed minus pretioſus, at mundus valde.

4 Poſt cœnam, aut collationem, à Paſchate vſque ad Exaltationem ſanctæ Crucis, priuſquam ad Completorium ſignum detur, hora ferè dimidia ſinguli ſeorſum ſedeant, deambulent, aut quieſcant, niſi pro temporum diſcrimine minus temporis vſque ad crepuſculum ſuperſit.

Cap. XI. De alijs ritibus Eremi, quoad temperantiam, ſilentium, & receſſum.

1 Victus eremo idem erit, qui & alijs Conuentibus, ferijs verò ſextis ob Dominicæ Paſſionis cultum, ſi ſolemne feſtum non inciderit, Fratres noſtri pane, vino, terræque fructibus tantummodo veſcentur. At pridie diei Cinerum, ac die Paraſceues, aqua ſolum, ac pane reficiantur.

tur. Reliquo autem anni tempore, licet ſit victus cum alijs Conuentibus communis, ſemper tamen eremi menſa debet eſſe frugalior. Diebus vero Paſchalibus, & extraordinariæ collationis Prior (prout ci Dominus ſuggeſſerit) abſtinentiæ rigorem poterit lenire, & Fratres abundantius reficere; quemadmodum & feſtorum lętitia, & ſanctorum Patrum conſuetudo requirit. At die ſolum Natalis Domini, & primo Paſchatis, & Pentecoſtes, & die Corporis Chriſti extra Refectoriũ cœnare permittet.

2 In eremo perenne ſilentium Fratres obſeruent, niſi cum Priorem alloquuntur, & niſi deſignatis collationis horis, extra quas rogati, id tantum de quo rogantur, ita eſſe, aut non eſſe reſpondeant. Cum ſæcularibus verò illuc euntibus ſolus Prior, & Procurator de Prioris venia, & Ianitor, vt officio ſuo præciſe ſatisfaciat, verba facere poterunt. Curet autem Prior, niſi vrgens ratio aliud perſuadeat, vltra horam cum hoſpitibus non immorari.

3 Suppriori in aliquo euentu raro cum ſæcularibus breuiter loqui Prior permittere valebit; poterit quoque concedere, quamuis rarò, & ex graui cauſa, alicui Religioſo ex alijs, qui in eremo degunt, vt cum aliquo inſigni viro eò veniente lo-

49
loquatur. At nemini facilè venia dabitur, vt cum Religioſis noſtris eò accedentibus loquatur, niſi coram Priore, ſeu aliàs tempore collationis ſpiritualis, & id quidem valde raro.

4 Volumus verò eremum incolentes Fratres omnes ita ſolitudinem amare, vt ad oppida vicina nullus, præter Procuratorem, ac Donatos ſine Præpoſiti, vel Prouincialis venia exire poſſit. Quod ſi deſignatus Procurator ire nequiuerit, non liceat Priori ſine Præpoſiti, vel Prouincialis conſenſu, alterum Procuratorem eligere.

Cap. XII. De Eremitis, ac eorum cellis.

1 IN eremo præter Clauſtrum, conſtruentur cellæ eremiticæ, à Clauſtro, inuicemque ſeparatæ, ſepto tamen concluſæ, ad quas tantummodo ſe recipient, qui à Priore veniam impetrauerint. Et ſigno in Clauſtro dato, eoſdem, quos Conuentus, actus exequentur, eaſdemque certas horas obſeruabunt, quoad orationem, officiumq; diuinum.

2 Recedent aliquot Fratres de Prioris venia ad cellas eremi ſeparatas in Quadra-

gelima

geſima præſertim, & Aduentu, & ab Aſcenſione vſque ad Pentecoſtem ita ibi manſuri, vt Prior iuſtis ue cauſis, eos ad Monaſterium reuocare, mutare, & cætera diſponere poſſit, prout ei in Domino videbitur expedire.

3 Ad eremiticas cellas non ferantur cibi alij, quam herbæ, fructus, & eiuſmodi alia, niſi Prior cum aliquo diſpenſauerit. Eremitæque ad Capitulum Dominicis diebus mane conueniant, ac ijs diebus in Conuentu commorentur vſque ad collationem expletam.

Cap. XIII. De Spiritualibus collationibus.

Singulis diebus Dominicis per horam vnam Eremitæ conueniant in locum aliquem deſignatum, & de re aliqua ad ſpiritualem profectum opportuna, quę in collatione vltima ad ſequentem collationem proponatur, mutuò conferant.

2 Diebus etiam ſingulis, quos extraordinariæ collationis appellamus, ſemel conuenient, & per tempus à Priore definiendum ſpiritualiter conferent. Ij verò dies erunt tres primi Paſchatum, feſtum Aſcenſionis

ſionis, Corporis Chriſti, Epiphaniæ, Natiuitatis Beatiſſimę Virginis Mariæ, Annunciationis, Aſſumptionis, Sancti Ioannis Baptiſtę, pridiæ vigiliæ Exaltationis ſanctæ Crucis, niſi fuerit ſexta feria, quia tunc fiet collatio feria quinta proximè pręcedente, Dominica Quinquageſimæ, Dominica prima Aduentus, & feſtum B. Matris noſtræ Tereſiæ.

3 Numquam conueniant ob alicuius Fratris etiam Prelati Congregationis aduentum, niſi cum de nouo admittetur, vel recedet aliquis Eremita, & cum Pater noſter Præpoſitus, aut Prouincialis, aut aliquis vices eorum gerens ad Conuentum viſitandum acceſſerit. Sed tunc vltra horam dimidiam, paulovè amplius ſimul non immorentur.

4 In Conuentibus eremi Viſitator quicumque nihil poſſit mutare, addere, vel auferre rebus conſtitutis, quas, vt ad ſimplicem verborum intellectum obſeruent, Fratres noſtros in Domino vehementer hortantur.

Cap. X I V. De Conuentibus ſtudiorum.

1 SEminarium errorum ignorantia eſt: quapropter conſtituimus, vt in Congregatione noſtra ſint Conuentus vbi Philoſophia, Theologiaque prælegantur; ita vt è ſex Conuentibus, vnus dumtaxat ſit ſtudijs deſtinatus. Cuius hic peculiaris finis erit, vt per ſtudia illa, illæſa diſciplinæ regularis obſeruantia, proximis intra, extraque Clauſtra noſtra ad ſalutem opem feramus.

2 Quod, vt fiat, curandum eſt, eorum Conuentuum Priores ita doctrina præſtare, vt domus gubernationi, & lectionibus, ac exercitijs ſcholarum modum præſcribere valeant, quemadmodum propria inſtructione decernitur.

3 Præter Priorem erit Supprior, & alij Patres, qui concionari, ac ſæcularium confeſſiones audire poſſint: Non enim Fratres ſtudentes huiuſmodi operibus vacare volumus, ſi commode fieri poſſit, donec ſtudiorum curſum confecerint.

4 Donati tot erunt, quot ad inſeruiendum neceſſarij videbuntur.

Vt

5 Vt autem ſtudijs tempus commodius tribuatur, Matutinum & Completorium hora in Inſtructione præſcripta recitabũtur: Horæ autem cæteræ ita diſtribuentur, vt paulo ante prandium duæ ex illis recitentur, ac deinde examen conſcientiæ fiat.

6 Feria ſecunda cuiuſque hebdomadæ non dicentur Defunctorum Veſperæ, quæ in Conuentibus alijs recitantur.

7 Qui ad eiuſmodi Conuentus mittendi ſunt, virtute, ac ingenio polleant, qui ſaltem annum integrum à profeſſione confecerint, niſi Præpoſitus, vel Prouincialis cum aliquo diſpenſauerit. Cum nouus ſtudiorum curſus incipitur, ex Prouincialis, Definitorumq; prouincialium conſenſu Fratres eò mittantur. At ſi poſt inceptum curſum aliquis eo mitti debeat Prouincialis venia ſufficiet.

Cap.

Cap. XV. De litterarum exercitijs, quæ in Conuentibus ſtudiorum fie- ri debent.

1 DVo ſaltem Prælectores vnus Philoſophiæ, vnus, aut plures Theologiæ à Prouinciale deſignentur. Quorum non modo ingenium, ac doctrina, ſed potiſſimum veræ virtutis integritas ſpectabitur, vt cæteros ad ſalutem poſſint erudire.

2 Hi legent iuxta Prioris diſpoſitionem, qui eis ad lectiones præmeditandas tempus opportunum, & ab actibus communibus exemptum concedet, prout in Domino crediderit expedire.

3 Prelectores, cæterique Fratres vniuerſi, opiniones male fundatas, & nouitatem præ ſe ferentes deponant, & Sancti Thomæ doctrinam tam in Philoſophicis, quam in Theologicis omnibus ſequantur, excepta opinione de ſanctificatione Virginis; & quę in Summa docuit præferant ijs, quæ alibi tradidit.

4 Prælegatur ſancti Thomæ Summa, eo ordine, quo ab illo diſpoſita fuit; Lectores verò è ſuggeſtu non dictent, vt ibi à diſci-

pulis

pulis lectiones ſcribantur, nec dubia, quæ è textu ſancti Thomæ non ſint intrinſecus nata frequenter proponant, dubia autem ordinariè vno eiuſdem S. Doctoris articulo longiora non ſint.

5 Philoſophiæ Lector, tam in Logica, quam in Phyſica, & Metaphyſica, doctrinam ſancti Thomæ amplectatur; ita vt contra eius opiniones nihil affirmet. Prælegет autem auctorem Thomiſtam à Præpoſito, vel Prouinciale deſignandum.

6 Sacræ Scripturæ Prælector textum ſacrum breuiter interpretetur, & dubia occurrentia breuiter quoque ſoluat; nec Sancti alicuius expoſitionem, niſi cum Sancti alterius oppoſita interpretatione refutet.

7 Prælector caſuum conſcientiæ breuiter dubia diſſoluat, & communes opiniones in tutiorem partem incumbens ſemper ſequatur.

8 Nullus è noſtris publicè in Academijs legat, vel librum, aliquodue opus, quouis modo inſcriptum imprimi faciat ſine Præpoſiti venia. Qui priùs quàm imprimatur opus per ſe legat, vel alicui è noſtris legendum committat. Qui verò ſecùs aliquid imprimi fecerit, pro culpæ modo puniatur.

9 Fratribus ſtudiorum curſum confecturis tres anni Philoſophiæ, tres Theolo-

giæ

giæ, vnus ſaltem doctrinæ morali, & Scripturæ ſacræ guſtandæ concedantur.

10 Prouincialis, vel alius, cui rem ille cōmiſerit, Prior, ac primus Prælector, quotannis ſub initiū, vel finem curſus ſtudiorū, Fratres ſtudētis examinabunt de ijs, quæ illis temporibus didicerint; & explorabunt, qua morum integritate, illucuſque proceſſerint; ſtatimque per ſecreta ſuffragia tam in moribus, quam in doctrina approbentur, aut, ſi meruerint, improbentur, & à ſtudijs remoueantur.

11 Grammaticæ, vel huiuſmodi humanarum (quas vocant) litterarum lectiones ſæcularibus patentes in noſtris Conuentibus prohibemus. At in quouis Monaſterio, præterquam in eremi, ac nouitiorum Conuentibus, Scriptura ſacra, vel doctrina moralis legatur ab ijs, quos Prouincialis deſignauerit, & lectionibus ijs omnes Fratres ad Prioris nutum interſint. Sæculares autem, etſi pauci ſint, nec his, neque illis, quę in ſtudiorum Conuentibus leguntur ſine Prouincialis, ac Definitorum prouincialium conſenſu interſint. At verò ſi iuſta de cauſa expedire viſum fuerit, vt ſæcularis aliquis ad lectiones admittatur, Prępoſitus, vel Prouincialis veniam dare poterit.

Cap.

Cap. XVI. De Conuentu Miſsionum.

1 HAbeat Romæ Congregatio noſtra Conuentum miſſionum ſoli Præpoſito generali, quoad electionem dumtaxat, & conuentualitatem Fratrum ibi futurorum, ſubordinatum, qui Conuentus ſit tanquam Seminarium, quo conueniant Religioſi ex omnibus Congregationis Prouincijs de ipſius Præpoſiti venia, vt ad proprias Prouincias doctrina inſtructi reuertantur, vel ad diſſeminandum inter infideles Euangelium mittantur.

2 Fratres noſtri, qui de Præpoſiti venia in eo Conuentu moraturi ſunt, inſtituantur linguarum peritia, controuerſiarum doctrina, & alijs, quæ ad errores infidelium refellendos, & catholicam veritatem confirmandam, & mores etiam componendos opportuna videbuntur.

3 Habebit Conuentus miſſionum redditus annuos, qui nullo modo poſſint in alios vſus conuerti, quàm in ſuſtentationem ipſius Conuentus, & alia ad vſum miſſionum attinentia.

4 Exibunt Fratres noſtri è Conuentu miſſionum de Prioris venia, ad vicina oppida Dei verbum pauperibus, ac derelictis præ-

prædicaturi : &(licet eis aliunde victus ſup-
petat) vt veri paupertatis cultores men-
dicabunt.

5 Prçter Romanum autem miſſionum Con-
uentum, in alijs quoque Prouincijs,
de venia Definitorij generalis
alij Conuentus miſsionum,
poterunt ædificari, ſuis
Prouincialibus mo-
re aliorũ Con-
uentuum
ſub-
ordina-
ti.

Finis ſecundæ Partis.